



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1657**

§. 28. Et accepto calice gratias egit & dixit: Accipite & diuidite inter vos. v.  
17.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

Angelicam etiam subtilitatem transcendent: Quid ergo ego peccator indignus terra & cinis de tam alto sacro decreto potero inuestigare & capere? Domine in simplicitate cordis, in bona firma spe, & in tua iussione ad te cum spe & reuerentia accedam semper, & vere credam, quia tu Agnus Dei es præsens in sacramento, Deus verus & homo verus.

§. 28. *Et accepto calice gratias egit & dixit: Accipite & diuidite inter vos. v. 17.*

Paulo ante de Mosaico paschate, & agno eius dixerat, se id non amplius celebraturum uti figurans, sed figuratum & verum in Ecclesia Dei, ipsa est enim regnum Dei, secundum illud, *regnum Dei intra vos est*, ergo confestim zelo sumpto, regnum Dei inchoaturus calicem vini accipiens veterem legem & testamentum terminaturus honorifice, ante regnum novum Dei, gratiarum, ubi vocant, haustum, seu terminalem proponit, & præiens conceptis verbis Deo patri omnipotenti, pro cunctis in veteri lege exhibitis donis gratias egit, & omnes singulosque, ex eodem poculo, gratiarum haustum mandauit libare. & sic cum honore Testamentum illud in feretro deposuit, non dampnandum, sed seruandum, tanquam id quod olim valuisset & magno in honore fuisset, & eatenus adhuc in honore maneret.

**D**eus meus omnium Magister, tu testamentum vetus cum honore deposuisti, non cum contumelia uti Lutherus & alij quidam sectarij. Habent igitur illud etiamnum tui Catholici in honore, & inter prædicandum de eo præferunt testimonia, & implent verbum tuum, qui prædixisti, quod in tua Ecclesia essent futuri Doctores, qui de suæ sapientiæ thesauro essent prolaturi Nova & Vetera. Hi sunt veri tui prædicatores, qui nostrum testamentum reiiciunt.

§. 29. *Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat. v. 18.*

Iterum inculcat Magister discipulis iam iam imminere Exordium regni Dei, dum ait se non bibiturum de genimine vitis nisi primum manifestetur regnum Dei, & tamen iubet eos terminalem haustum facere super veteri Ecclesia tam cito ut non diuifim voluerit infundi vinum, sed de vno omnes participare infuso.

**V**erissime comedebat te, mi Domine, zelus Dei, cum hæc dicebas & hæc agebas, cum discipulis tuis. videris mihi fuisse ignis confians, quia discipulos tuos confias & in unum redigis sensum, ut pariter vetus Testamentum seu legem Mosaicam professorio haustu favoris testentur, ex uno calice & vno infuso bibentes, & novum Testamentum confestim ex-  
pedent,